QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, IOVIS DIE XVII. IANVARII, M. NICOLAO IABOT DOCTORE MEDICO AC FACVLTATIS DECANO, MODERATORE.

An morborum tria genera, tribus artis instrumentis curentur?

MORBORVM TRIA GENERA iam inde à partu quo nox Aten enixa fuit, corporis humani concinnitati insidiantur; SIMILARIS partes similares intemperie, non solutione continuitatis (vt ait Auerroes) labefactat; ORGANICVS instrumentarias compositionis vitio, non diuulsionis (vt rursum ille) corrumpit; COMMVNIS vinculum societatis, quo similares cum organicis ad actiones obeundas coniugantur, dissoluit: hæc imprimis noscenda medico; in secundis causæ vnde dimanant, quarum sunt tres differentiæ; vna exterior quæ EVIDENS; duæ interiores, altera, ANTECEDENS; altera, CONTINENS nuncupantur: EXTERIOR est è rebus extrinsecùs affluẽtibus; INTERIORES è rebus, quas vel parẽtes, vel facultates ipsę naturales sui vitio ingenerarunt; Pariunt morbos, EXTERIOR quidem SIMILAREM, si rerum non naturalium vsu intempestiuo intemperies vtraq; simplex & coniugata suscitatur; ORGANICVM & COMMVNEM, si rerum aduentitiarum impetu, vel instrumentorum compositio deprauatur, vel similarium & organicarum partium resoluitur compages; INTERIORES verò SIMILAREM, si πλήθωρα vel κακοχυμία corpori affinguntur; ORGANICVM, si generandi principia instrumentorum compositioni labem faciunt; COMMVNEM, si infesto humore, vel flatu, vel spiritu similarium & organicarum partium continuitas dissociatur: sine EXTERIORE nulli, sine CONTINENTE pauci, sine ANTECEDENTE apparent morbi frequentes.

TRIA ARTIS INSTRVMENTA quibus medicus, vti runcâ tridente radices, illas morborum tres caussas auerruncat διαιτητική, φαρμακευτική καὶ χειρουργική: Διαιτητική, quâ sine ceteræ nullæ, valet contra exteriores & euidentes, quippe quæ rebus aduentitijs salubribus præscriptis, proscriptis insalubribus ignem primigenium curâ, quâ vestales suum, foueat & scintillas eius restauret exalantes: Φαρμακευτική καὶ χειρουργική adhibentur interioribus caussis profligandis; hæc manu, illa medicamẽtis operatur; hæc venæ sectione, vt promptiore, sic conuenientiori remedio πλήθωρας, quæ in venis & corporis habitu redundat, sanguinis sistit & reuellit eruptiones; instrumenta deformia ad structuram reuocat meliorem & similarium partium cum organicis coadunat continuitatem; illa, purgatione tutiori longè & blandiori quàm venæ sectione κακοχυμίαν, in quacunque corporis sentinâ stabuletur, cum humorum delectu exhaurit; instrumentorum vitijs purgandis & continuitati partium sarciendæ condit promitq; medicamenta certiora, quàm quæ è suis fornacibus pollicentur Chymistę circulatores.

SIMILARIS MORBVS febris curatur his instrumentis, pro ratione vniuscuiúsq; contra Methodicorum gerras; διαιτητική animi ægritudines mollit curarum intermissione, corporis fluctus componit laborum interdictione, spirituum inflammationem restinguit aëris frigidi & limpidi interspiratione, excrementorum fœtorem ventilat corporis olenticetis repurgatis; vt illius manu solâ, DIARIA exsurgens è spiritibus vitalibus influentibus, quanquam ad sextum diem perdurare possit, sępiuscule supprimatur; at si quando rebellans in sanguinem, ipsum spirituum fulmentum descendat inflammandum, ad Σύνοχον imputrem; aut putredine simplici in venis & extra venas inficiendum, ad Σύνοχον putrem; aut σηπεδόνι putrilagine, siue insigni putredine inquinandum, AD FEBREM PESTIFERAM; aut in solidam ipsam corporis substantiam ad ἑκτικὴν, quam nullus veterum cum Hippocrate nouit; Succenturiatę sunt φαρμακευτική καὶ χειρουργική quæ subsidiariam ferant operam; illa lenientibus, præparantibus, purgantibus & corroborantibus; hęc verò sanguinis missione, φλεβοτομίᾳ, scarificatione & hirudinibus.

ORGANICVS MORBVS angina siue obsideat laryngem periculosissima Κυνάγχη, aut Παρακυνάγχη ab humoribus acribus, biliosis frequentissimè, sanguineis rariùs & pituitosis rarissimè; Siue fauces Συνάγχη, aut quæ minùs periculosa Παρασυνάγχη, quandoq; etiam ab humore melancholico nata, vt frequentiùs in viris, quàm fœminis, sic parciùs in pueris & senibus, quàm in iuuenibus præsertim sanguineis si caput grandius est & collum breuius; vt curetur, διαιτητικὴ, interdicto vino, victum instituit tenuissimum, quem si nequit ęger deglutire, clysteres ptisanę carne contusâ, ouis & iuribus compositos injicit, quibus nutriatur: χειρουργικὴ ne augeatur inflammatio, humores reuellit frictionibus, ligaturis, siccis cucurbitulis & sanguinis missione ab inferis partibus, si αἱμορροΐδες vel menses suppressi, sin minùs à superis, de brachijs primùm, deinde de ranulis, incisione non angustâ, vt promptiùs diffletur incendium, denique cucurbitulis cum scarificatione; omnia hæc, sana; sed insanæ mentis consilium Aretæi & Asclepiadis apud Cælium, qui asperam arteriam volunt iugulari: φαρμακευτικὴ clysteribus acribus iuuat reuulsionem, purgat καθαρτικοῖς, repellit, attenuat, exsiccat, dissipat, maturat & detergit gargarismatis; Suppeditat etiam quæ ἰδιοσυγκρισίᾳ ἄεπλῳ morbum debellant, præter fœtida, caricas, cyminum, mel anacardinum, hirundinis sale conditæ atque etiam nidi puluerem.

COMMVNIS MORBVS oculi vulnus; vt curetur, χειρουργικὴ palpebras incisas cum cilijs suturâ rarâ & profundâ, quę partes vnitas coerceat sine inflammatione, acu incuruâ consuit; pro reuellendo humore ab inflammatione, ad posteriorem capitis partem inter scapulas applicat cucurbitulas; pro deriuatione, extremitates fouet, fricat, constringit; pro restinguendâ inflammatione è cephalicâ ducit sanguinem: φαρμακευτικὴ suggerit topica, quæ vulgò DEFENSIVA dicuntur, vt composita ex bolo Armenâ, sanguine draconis, balaustijs, oleo myrrhino & similibus; ADGLVTINANTIA, vt terram Lemniam nuces cupressi, emplastrum Phœnicinum, vnguenta de cerusâ, de minio &c. CONCOQVENTIA vt oleum mastichinum, farinam triticeam, terebinthinam &c. ῥυπτικὰ vt marrubium, eruum, hordeum, mel rosatum &c. σαρκωτικὰ vt caricas, semen lini, vnguentum Isidis, de cadmia, de tutia &c. ἐπουλωτικὰ, vt spinæ Ægyptię fructus, alumen, æs combustum, diapalma &c. σταλτικὰ vt stupas cannabinas, spongiam vstam, æruginem, vnguentum Ægyptiacum &c. hęc inter & alia plæráque, aluo lentæ succurrit clysteribus & morbidis humoribus certat καθαρτικοῖς: ceteris, vt his tribus exemplis, medentur tria artis instrumenta.

Ergo tria morborum genera, tribus artis instrumentis curantur.

ASSEREBAT Lutetiæ FRANCISCVS PLACET, Masserianus Carnutensis, secundùm RECTOR ACADEMIÆ, anno CIↃ IↃCVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Michael Toutain.	*M. Robertus le Secq.*	*M. Claudius Bazin.*
M. Guillelmus Lescaillon.	*M. Simon le Tellier.* Med. Reg.	*M. Henricus Blacuod.*
M. Petrus Collier.	*M. Richardus Merceiz.*	*M. Nicolaus Ellin.*